

Vc  
2504







# EPITHALAMION IN NVPTIAS

ILLVSTRISSIMI PRIN-  
CIPIS AC D. D. IOHANNIS CA-

SIMIRI COMITIS PALATINI RHENI, BAVA-  
riæ Ducis, &c, clementissimi sapientissimiq3 Princi-  
pis atq3 D. D. FRIDERICI Comitis Palatini Rheni,  
Sacri R. imperij Archidapiferi, & Electoris, Bauariæ  
Ducis &c, F: & genere & virtute atq3 pietate nobilif-  
simæ Heroinæ D. D. Elisæ Saxonix Principis, &c.  
potentissimi Principis ac D. D. Augusti, Ducis Saxo-  
niæ, Sacri R. Imperij Electoris, & Archimarschal-  
li, Landgrauij Thuringiæ, Marchionis Mis-  
niæ, & Burggrauij Magdeburgen-  
sis, &c, F, Scriptum

Ab

HENRICO XENANDRO

ALTKIRCHIO.

6. 18. Oct. 1570  
2. April. 1590  
alt 38. Jahr.

HEYDELBERGAE EXCVDEBAT

Michael Schirat, Anuo 1570.



EPITHELALAMION  
 IN NVPTIAS  
 ILLVSTRISSIMI PRIN-  
 CIPIS AC D. D. JOHANNIS GA-  
 SIMINI COMITIS PALATINI RHODANI HAV-  
 RIE DUCIS SAC. ROMAN. IMPERII ARCHIEPISCO-  
 PIS D. D. RUDOLPHI COMITIS PALATINI RHODANI  
 HAVRIE R. IMPERII ARCHIEPISCOPI & ELECTORIS BAVARIE  
 DUCIS SAC. ROMAN. IMPERII ARCHIEPISCOPI & ELECTORIS BAVARIE  
 COMITIS PALATINI RHODANI HAVRIE D. D. ELISEI SAXONIE PRINCIPIS SAC.  
 ROMAN. IMPERII PRINCIPIS AC D. D. AUGUSTI PRINCIPIS SAC.  
 ROMAN. IMPERII ARCHIEPISCOPI & ARCHIEPISCOPI  
 PALATINI RHODANI HAVRIE



LEYDELBERGAE EXCUBITAE  
 Michael Schütz Anno 1779



# EPITHALAMION IN NVPTIAS

ILLVSTRISSIMI PRIN-  
CIPIS AC D. D. IOHANNIS CA-

SIMIRI COMITIS PALATINI RHENI, BAVA-  
riæ Ducis, &c. clementissimi sapientissimiq; Princi-  
pis atq; D. D. FRIDERICI Comitis Palatini Rheni,  
Sacri R. imperij Archidapiferi, & Electoris, Bauariæ  
Ducis &c. F: & genere & virtute atq; pietate nobilif-  
simæ Heroinæ D. D. Elisæ Saxonæ Principis, &c.  
potentissimi Principis ac D. D. Augusti, Ducis Saxo-  
niæ, Sacri R. Imperij Electoris, & Archimarschal-  
li, Landgrauij Thuringiæ, Marchionis Mis-  
niz, & Burggrauij Magdebur-  
gensis, &c. F.

**V**nde noui clangor plausus ferit æthera tantus,  
Mētibus insinuant quæ se noua gaudia mæstis  
Diuorum pelluntq; grauis tormenta doloris

Mons iacet excelsus speluncaq; horridus atra,  
Rupibus ex altis quæ Nicarus intrat in æquor,  
Sancti nomen habet, uel quod Germania quondam  
Mercurium hinc studio uenerata est nescia Christi;  
Vel quod posteritas simili sub imagine Veri  
Falsa, salutiferis Dijs hinc coelestibus aras  
Erexit, delubra nouis ex honoribus auxit.  
Hinc nuper, patria procul à regione remotus  
Consedi, euoluens animo fera fata Sionis,  
Scilicet infernis digressa paludibus Ate,  
Qualiter Europam discordibus implicet armis,  
Regna quot assiduo Martis labefacta furore

A 2 Sponte

Sponte sui inertius sine causa caputq; propinquit,  
 Oppida sunt equata solo quibus irreparabile damnum  
 Passa, quot incultis horrentia sentibus arua,  
 Quot iaceant neglecta uagis uineta colonis:  
 Ac quanquam tenero pure pietatis ouili  
 Solius ob Christi nomenq; fidemq; professam  
 Sincerè, tot nunc audio lupo ore bidentes  
 Hesperius paucis annis extorsit inermes,  
 Corpora quot nunquam prostravit Marte secundo  
 Roma triumphali cum staret cincta corona,  
 Et foret immensi caput insuperabile mundi:  
 Tanta tamen rabies non dum saturata cruore,  
 Sed magis inflammat ceu largus Hydropica potus:  
 Guttur, et oblatis magis exuruntur ab undis:  
 Sic magis crudescat, gliscatq; ferocius ore  
 Efflans arma, minas, lites, odia aspera, fraudes,  
 Heu quibus innumeri regesq; ducesq; potentes  
 Adducti aduersum conspirauere Monarcham  
 Supremum mundi, conantes sceptrum tremenda  
 Eripere, audaciq; manu solio turbare.  
 Hec, inquam, ut querula meditabar arundine, tristes  
 Audiui Dryadas, tristes & Oreadas omnes  
 Cum lacrimis misere sortem incusare Sionis.  
 At nunc mirifica fremuere cacumina montis  
 Leticia, est & se, (mirum) de sedibus imis  
 Visa relaxatis radix attollere fibris.  
 Fallor: an Eois surgit lætissimus undis  
 Ille dies, quo se proles pulcherrima magni  
 Principis Augusti uinulo sociabit amico  
 Coniugij Casimire tibi, totamq; dicabit,  
 Curriculum ut tecum uite concorditer omne  
 Conficiat, clara faciatq; propagine patrem.  
 Fallor: an iccirco tellus hilarissima uultu  
 Exultat Dominamq; suam officiosa salutatur?  
 Ergone Hamadryadas resolutas luctibus omnes

Hercinie

Hercinie siluæ Faunos hilaresq; Napeas,  
Viniferi & Rheni Nymphas, spumantis & Istri  
Naiadas & Nicri, quæ cultaq; numina Dorsa  
Hunnorum peragrant applausus edere letos,  
Cernoq; gratantes uenienti occurrere Nymphæ  
Albidos, obsequio & uenerari sedula grato.

Salue festa dies Hymenæe sacerrime salue.  
Sponsa Iouis thalamis salue dignissima Elisa,  
Ingredere auspicijs lætas felicibus oras  
Læta, tibi cœli quas Rex promisit amicas.  
Namq; mihi Delphis oracula uera roganti  
Non uano augurio præfagus Appollo futuram  
Respondit de te uirtutis ab indole claram  
Progeniem, quæ si sincerè numen adoret  
Omnipotens, eius si sacra statuta propaget,  
Illustretq; potest quantum, tueatur & armis:  
Tum Mahometigena deuictio Cæsare bello  
Sceptra triumphali capiet latissima dextra  
Turcarum, errantes populos adducet ouili  
Christe tuo, uictis leges præscribet honestas,  
Atq; suis proauis quanto felicibus armis  
Notior Isaias, tantò excellentius omni  
Nomen ab orbe feret patribus super æthera notis:  
Sponsa pudicitie decus admirabile raræ  
Concipe nobiscum sub pectore gaudia uera;  
Sola quod est tali dignissima uisa marito  
Teutonicis est quo nemo præstantior aruis,  
Seu genus antiquum spectes ab origine prima  
Seu dotes animi & specimen uenerabile morum.

Si libet annales ueteres cognoscere mecum,  
Stirpe palatina, superest quæcunq; per orbem  
Nobilitas patrum non eumentita suorum  
Laudibus & multis insignia plena trophæis,  
Inuenies omnem primo ceu fonte profectam

Nam modo Boiorum qui gaudent nomine prisco  
Antiqua uirtute duces, sceptroq; potentes,  
Carole regali Francorum stemmate nate  
Magne; quod inuictus bello crudeliter orto  
Panda reluctantes tua sub iuga traxeris hostes  
Europam terraq; mariq; subegeris omnem,  
Et Clarij cultor fueris cupidissimus antri,  
Quando cruentati siluerunt arma Gradiuis  
Excelsæ te de uite primordia ducunt.  
Gnata palatini tua origine proxima neptis  
Henrici, Boio se desponsauit Othoni,  
Cuius auus primus fuit INDVPERATOR ab arte  
Militiæ Arnolphus toto celeberrimus orbi,  
Hinc est IMPERII quondam quod sancta uetustas  
Consensu procerum si quando MONARCHA creandus,  
Prima Palatinos uoluit suffragia ferres  
Digna Pipinæe ut gentis monumenta triumphis  
Posteritas memori & res tot bene pectore gestas  
Grata reseruaret, nullumq; extingueret æuum.  
Non secus ac quondam magni regnator Olympi,  
Mirificum propter ueræ pietatis amorem  
Sceptra palestinae soli commisit Iudæ,  
Culmen & ad tantum natos euexit honoris.

Hinc quoq; tu INGELHEIM sacrata palatia multis  
IMPERII seclis sedes clarissima, quondam  
Dædali i constricta manu, & suffulta columnis  
Fusilibus, Magnus Latij quas extulit ipse  
Finibus, & tectis regalibus intulit: at cum  
Cultibus impietas succreuit inanibus aucta,  
Fœda cuculligeris erg. stula facta scelestis,  
Nunc ueteris tantum uestigia nota decoris  
Pagus habens, tanquam proprijs hæredibus aula  
Iure Palatinæ paret, subiectus & audit.

Nympha puellarum fortunatissima cernis,  
Quam tuus illustri descendat origine coniunx,

Longæua

Longæua cuius præstantes stirpe nepotes,  
 Gloria gestarum quos uexit ad æthera rerum  
 Perpetuò totum marsuris laudibus orbem  
 Complens; nunc canerem nisi maius uiribus illud  
 Esset opus nostris, longisq; ambagibus aures  
 Ingratum retinere foret, multumq; morari  
 Nos desiderij tua feruida uota puderet.  
 Quin fateor nostri susceptum carminis orsum,  
 Mœonidæ digno uix Musam carmine uatis  
 Posse, uel ingenium diues finire Maronis.  
 Tam mihi uerarum præconia grandia laudum  
 Occurrunt, hebetantq; meos in pectore sensus.  
 Sponsa tuo solus qui cordi incendia præbet,  
 Illum oculis unum spectata uigilantibus, illum  
 Obserua tantum, tantum mirare uideq;  
 Illi quam faciem gratissima forma serenet;  
 Quantus honos frontem pulcrosq; decoret ocellos,  
 Indolis excelsæ & mentis certissimus index,  
 Semina uirtutum quam sacratissima cordi  
 In sita diuino sint, ingentesq; profundant  
 Diuite prouentu fructus, quos ultimus orbis  
 Quâ iacet Aethiopum tellus, quâ Nilus inundat,  
 Orbe pererrato & quâ se sol mergit iberis,  
 Suspicit effræno fractus terrore metuq;  
 Terrificantq; trucem Gallum pugna,ibus armis,  
 Sacra prophanantem nuper quem uerba Tonantis,  
 Pontificis suasu libertatemq; popello  
 Afflicto miserè eripientem, Marte repressit  
 Legitimo, & pacis noua pacta ferire coegit.  
 Nunc memora Clio quanto in discrimine uitæ  
 Versatus fuerit: quam pro pietate paratus  
 Auxiliatrices adferre manusq; pijsq;  
 Iniuste illatam uim propulsare, uel atra,  
 Fata poposcissent si sic, occumbere morti:  
 Qua concussa metu, ac quo Francia tota tumultu:

Edidit intrepidus quās strages, foedere facto  
Noster hic ornatus qua laude penatibus Heros  
Succesit patrijs rursum acceptissimus hospes.

Ausus erat quando uiolata pace secundo  
Liliger oblitus decoris famæq; parentum  
Laudibus eximijs, nec non uirtute paratæ,  
Insanam inuocuo dextram scelerare cruore,  
Ac sua crudeli lacerabat uiscera ferro,  
Quæ Latij nollent malefida insomnia Papæ  
Arripere, ut Christi documenta salubria uitæ,  
Nemoq; Teutonidum, sociorum clade piorum,  
Commotus, contra scelerato Marte resumpta  
Arma ire audebat, gladiosue obtenderere iustos  
Tum pius hic princeps sortem miseratus acerban  
Christiadum, aggreditur Rheni te Rector aquai

Quæ fortuna parens obseruandissime fratrum,  
Nostrorumq; ærumna premat quam tergora magnas  
Maiorum parta quam libertate labore,  
Atq; salutifera Christi priuantur iniquæ  
Doctrina: nullos & quam miseratio tangat  
Germanos eadem fidei documenta professos,  
Cernis, & à luctu solatia sepe reposcis.  
Sed mea mens quo sit laudum perculsa calore  
Nescio, iam dudum furibunda inuadere castra  
Gestit ouans mihi, nec placida contenta quiete est.  
Cernis quæ Gallo subeat fiducia rerum.  
Suscitat in primis spatiosa potentia regni  
In bellum, spondet sed coniuratio palmam  
Multorum, & Papæ resonantia fulmina latè  
Sacrilegi pariunt contemptum numinis illi  
Saluifici, & fastum cæptis immanibus addunt.  
Ast ego bellator dio numinine fultus  
Foedis fragis aueo caput obiectare periculis,  
Ferreq; communis Sortis communia tela,  
Nec dubito Dominus quin prospera uota daturus

Cono

Conterat inuisos iaculis ultricibus hostes.  
Tempus adest sub quo meretrix Babylonica casu  
Concidet horrendo celsis à sedibus acta,  
Quacum concubitu impuro quicumq; cubili  
Templa sacri Flatus foedarunt, regna tenentes,  
Cuius & a turpi mercatu pondus & auri  
Pondus & argenti qui corrasere nefandum,  
Credita pandentes nummis compendia uitæ,  
Pellicis audito lapsu sua pectora amata  
Concutient pugnis, ululatibus athera frustra  
Implentes, nimium & sua serò fata gementes:  
Hanc, sine, tergeminis redimitam uertice mitris  
Debilem: sancta pro Relligione gerendum  
Bellum est, auxilio Christi est & ouile tuendum.  
Quam potes adfer opem, sine me me educere castra,  
Afflictis fidei & nostræ succurrere turmis,

Boius hic Heros pietate & maximus æuo,  
Nunc Deus experior re ipsa quod clade tuorum  
Afficeris, tibi nec subeant obliuia nostri,  
Quando animum talem iuueni & tam certa dedisti  
Pectora: Et hæc implens memorabat fletibus ora:

Postquam animum tantæ accendit pietatis imago  
Et superis fas est parere uocantibus ultro,  
Nate bonis auibus, quo te tua fata uocarunt,  
Vade, comes tibi sit noster seruator IESVS.

Vt primum gelidæ ductu felice Mosellæ  
Armato superauit aquas cum milite, tristi  
Consternata stetit uultu, fluxumq; repressit  
Sequana, tristis Arar, Ligeris Rhodanusq; steterunt  
Non minus ac quondam Rubiconis Iulius undas  
Transijt ut Cæsar remis uel isq; secundis:  
Roma repentino Martis percussa pauore  
Contremuit, rigidasq; minas grassantis & iram  
Militis extimuit peregrinis finibus orti.

Primum terga fugæ committit tutæ ceterua

Sacrificium

Sacrificum querens, Dijs gens inuisa supremis,  
Præstigijs quod tot delusit inanibus annis  
Mortales miserè. Pars urbes nocte silente  
Ingreditur firmas uallo, cinctasq; maniplis.  
Magna cauernosis pars se tectura lacunis,  
Qua data porta ruit (plantis metus addidit alas)  
Et nemora alta petit: pars quos scelus exitiale  
Exanimat mentis, contundit pectora pugnis,  
At pars quæ placidos mores & mite cucullo  
Pectus & insignem simulat pietatis amorem,  
Ingenium abiecta sancta illa ueste lupinum  
Detegit, horribilem depromens corde furorem;  
Clamat io ciues cunctas limphata per urbes.  
Si qua receptorum Diuum uos cura remordet,  
Si sacra decretis bullisq; minacibus aucta  
Relligio, propter miracula multa probata,  
Si cordi uobis est uestra salusq; laresq;  
Ferte citi auxilium, capite arma, resumite uires.  
Hostis adest; magnis constructas sumptibus aras  
Diruet, & templis simulacra Deumq; mouebit  
Reliquias: mystas trahet & post terga reuinctos  
Sacrifici æterni memores (o tempora) sanctos  
Quo cessit ueterum pietas? quo gloria patrum?  
Ni uos Francigenæ gens insuperabilis armis  
Externum uestris pellatis finibus hostem.  
Eheu coelicolæ nostræ miserescite sortis.  
Vester honos agitur, patribusq; recepta uetustis  
Relligio, Papæq; salus ter maxima summi.  
Talibus exardet furijs exercitus omnis  
Regius, irarum & stolidas effunbit habenas.  
Arma fremit demens, armis circumdatur aspris,  
Certatim laudem tanto discrimine querens,  
Prorumpuntq; auidæ dubij certaminis alæ  
Hec locat insidias augustis uallibus hosti,  
Obsiditq; uias paruas, aditusq; cohorte

Argenti

Ingenti firmat, tacitis seq; occultis umbris.  
Illa agit excubias uigilanter moenibus altis.  
At manus Italij meritis bullisq; superba  
Pontificis, cuneusq; feris confertus Iberis,  
Totaq; regali formidine Francia fictis  
Dedita Dijs, uita & contemptor Teuto lucella  
Ergo, Burgundiq; & adhuc simulacra colentes  
Heluetij, densum tam conglomerantur in agimem.  
Quam creber uentis caelo ruit imber abactus.  
Et faciunt collum per summa cacumina castra  
Ac iuga tormentis tumidis obsessa coronant  
Illicet exactae uiolenter puluere glandes  
Sulphureo horribilem uasto dant aethre fragorem.  
Qualis terrigenum sonus intonat auribus alto  
Ceperunt postquam mugire tonitrua caelo.  
Terrifico magnus fumo obuelatur Olympus  
Eripiturq; dies planis uenientibus aruis.

Atq; hoc dum Gallus nostrae terrore cohortis  
Nititur inceptos gressus auertere regno,  
Extemplo magnus Princeps Casimirus in armis  
Consortes belli uerbis affatur amicis,  
Ne leuis ignauus obrepat mentibus horror,  
O socij nostris nulla uirtute minores  
Patribus, imperio sceptrisq; potente potitis.  
Este animis fortes & spe praesumite bellum.  
Certa triumphalis capturi gaudia laudis,  
Maiores nostri fame dulcedine capti  
Viuacis, totum mundum domuere rebellem.  
Atq; coegerunt metuenda capefcere iura.  
Si qua recusaret gens barbara froena parentum  
Illa dedit iustas effuso sanguine penas.  
Ergo quid indignum ne committamus inertes  
Maiorum uirtute, prior cras Dux ego uester  
Hostiles acies perumpam, pone sequentes  
Vos legite arreptis uestigia fortiter armis.

Britannica

Mittite, loetalis si quis timor impetat artus  
Partibus à nostris est inuictissimus HEROS.  
Qui regit imperio caelos terrasq; patentes.  
Ille dabit dextris cedat uictoria nostris,  
Et capita auratis connexa corona trophæis  
Præmia magnifici, cingat, diuturna triumphi.

His iuuenum flos ad subeunda pericla paratus  
Teutonicus dudum, nec quidquam territus, ardet.  
Irarum plenus dubio certare Gradiuo,  
Proq; resurgenti diuini semine uerbi  
Aut mortem oppetere, aut gentes frænare superbas,  
Christicolisq; pijs placidam donare quietem.  
Et nisi nox atra caligine cæca negasset  
Visum, tentasset, uirtus quid uiuida posset.

Ecce ferè media proceres dum nocte sopore  
Membra focillarent armorum pondre fessa,  
Ante Ducis lectum Boiorum constitit una  
Eumenidum erroris genitrix, omnisq; magistra  
Conficti, prauiq; tenax, & nescia flecti  
In melius, quamuis iter impietatis aperte  
Ante oculos uideat, quibus & sit amicta, tenebras.  
Que quia tot false species assumit inanes  
Relligionis, habet quot fraudis in orbe ministros,  
Omnibus est odio uasto phlegetontis ab amne  
Pulsa uenenatis terras defœdat & alis.  
Illa Deum pestis Genij simulata figuram  
Aetherei his illi conata adfere timorem,

Nate Palatino quonam Dijs itur inquis  
Te maneant cernis non quanta pericla tuosq;  
Quid petis exitium timido cum milite præsens  
Prodigus an uitæ breuis es: propriæq; salutis  
Immemor: haud miseret te nunc tot mille uirorum  
Siste gradum, reflecte pedes, cito reprime gressum,  
Viribus, & numero tuus est exercitus impar  
Hostibus in tutis residentibus undiq; septis.

Adde quod Ausonij metuenda potentia Pape,  
Qui Iouis hic summi fuit ipse Vicarius annis  
Mille & quingentis ac celsæ Ianitor arcis,  
Cuius quando iubet concludit & ostia pandit,  
Quineriam eliminans uerbis tribus æthere Tonantem  
Includit panis frustis, o quanta potestas:  
Si fortuna tuis faueat mutabilis ausis,  
Innumeros Genios reserato educet Olympo  
Armatos, tua qui turbabunt castra repente,  
Inq; fugam iusta repetiris sanguine pœnis  
Vindicta uertent: quid enim patietur inultum?

Hic inquit uatem irridens Bauarica proles,  
Mene Sathan fictis tu uis terrere periculis,  
Quem tegit inuicti tutela fidelis IESV,  
Ad cuius nomen Cocyti stagna tremiscunt.  
Aufuge terrorum satis est & fraudis abunde,  
Ipete cunctorum mater foecunda malorum  
Tartara, supplicij crucianda perhennibus, ima.  
Stat conferre manus, dubiosq; subire labores,  
Stat tua magniloquis fraudum fundata uenenis  
Regna per ingentes euertere funditus oras,  
Venturo imponas ne tam mendaciter æuo  
Amplius: ista manet te nunc uindicta Tonantis.  
Dixit et intrepido uultu dextraq; coruscus  
Castra per hostiles ducit sine clade suorum  
Terras magnanimo confertim milite complens.  
Nil facit appositas acies fulgentibus acres  
Ensibus & telis: nil interclusa uiarum  
Septa latrocinij completa: nihilq; moratur  
Insidias nemorum latebris fossisq; locatas:  
Sed ueluti Rhenus, quando pluuiialibus undis  
Opplentur ripæ, rapidisq; agitantur ab auris,  
Aggere disrupto per aperta iter æquora pandit,  
Et sata sternit humi crudeliter obuia passim,  
Sternit & arboreos immani pondere foetus

B

Quaq;

Qua; ruit miseris dat plurima damna colonis;  
Egregijs animi magni sic dotibus Heros  
Lata Palatinus per Galli rura ferocis  
Agmina agit fidis stipata cohortibus, hostes  
Fundit humi passim remorari iter usq; uolentes.  
Nunc huc nunc illuc laxis defertur habenis.  
Cum fremitu magno, miratur inertia corda  
Regia non æquis committere se semel aruis,  
Obuia coniunctis non ferre cohortibus arma:  
Sed canis ut septo timidus munitus herili  
Latratus tumidos, ceu fulmina, iactat in auras:  
Aut uelut assensu superato ex uertice quercus  
Tibi en rabiem ludendo fugare luporum  
Nuitur in silua, promptumq; ad prælia robur  
Ostendit cantu, cum longe est uiribus impar:  
Sic ex fumosis & tutis aggere muris,  
Atq; ex diuersis tacturis collibus astra,  
Bellica terrificum tantum tormenta furorem  
Pulvere nitroso rapidas spumantia glandes  
Euomere & fortes ad pugnam ostendere uires  
Viderat ut Pluto tristis dominator Auerni  
Quanta suo regno tua Dux Casimire labanti  
Inferret uirtus, quam tristia damna ruine  
Mansura tecum daret imperterritus ipse:  
Condeus patriæ lux illustrissima gentis,  
Talibus affatur turbatus Hypocrisis ore.  
O Germana uides ut nunc mea regna labascunt  
Nemo Quirinalis recipit noua dogmata Papæ  
Excidij nostri caput ampla Bohemia primum,  
Ex quo illam docuit, nunquam mihi cre didit, Hussus,  
Tota Euangelij fruitur Germania luce,  
Verba Dei sequitur spatiosa Polonia tantum,  
Exuit informes Ecclesia Sueuica cultus,  
Agnouere Deum, Dani, Scoti, atq; Britanni,  
Terra reintegrat doctrina; semina pure

Hactenus

Hactenus infelix lolium quæ protulit, omnis.  
Heu mala quanta creas nobis diuine Luthere,  
Quam fuerat melius non euulgasse profanæ  
Nostra tot en seclis ludibria credita plebi.

Heu soror ad summum uentum est, nisi quidquid honoris  
Gallia sacrificis nostris addicta reseruat,  
Arte tueamur, ueteri foueamus & astu.

*tueamur  
reseruamus*

Ergo age fac fictæ renouent ut foedera pacis,  
Et proceres subito bello infelice recedant.

Fata uiam inuenient, qua rescindantur inique,

Finibus excessit ualido cum milite Francis

Vt Teuto, cuius propter pietatis amorem,

Noster honos turpi ruet alto à culmine casu,

Si modo concurrant infestis cominus armis.

Illastarim dicto parens mandata facebit.

Auribus inspirat procerum concorditer aurans

Quæ fera mi:escunt exuto corda furore,

Et desiderium ferri pugnaeq; recedit.

Tum Rex, irarum adductis paulisper habenis,

Liliger, expendens non expectata cadentis

Damna sui regni, celsa intra tecta coacti

Concilij in medio, mœsto sic fatur ab ore

Hei mihi primates renouamus Marte duellum

Aduerso infelix cum Relligione Deoq;

Inuictisq; uiris, quos Dijs nonnulla secundis

Bella fatigabunt, nec corda rebellia flectet

Horrendis poenis exercita sepe Tyrannis.

Nostra ruinosis quam sunt attrita procellis

Lilia, quam tristi iaceant afflicta ruinas

Ante oculos interq; manus sunt omnia uestras,

Nunc uero aduersæ grauior Rhamusidos ira

Tristius exitium nobis meditata propinquat.

Bellipotens Teuto nostris grassatur in oris

Ille Palatini proles fortissima, canæ

Nulla retardarunt quem brumæ frigora, nulla

B 2 Robora

Robora fugarunt densis contraria pilis,  
Terror at inuictus nostris est: tantus in ense  
Assurgit, tanto splendentia turbine tela  
Contorquet, tantasq; leui certamine strages  
Edit: quid faciet cum seria praelia surgunt?  
Omnia formido quoties ego cunq; recordor,  
Quæ puer, hac nostra cum uersaretur in aula  
Egit præclare, quanta uirtute decorus  
Ante alios longe eluxit, quo robore fultus  
Victricem tulit ex omni certamine palmam:  
Vos date consilium & rebus succurrite fessis.

Martius instabili uariatus ab æthere mensis  
Nunc ibat niueis succinctus membra capillis,  
Nunc pluuijs faciem & referabat grandine mixtam,  
Frigore concretam nunc barbam rursus habebat,  
Nunc stillabat equis solis resoluta liquorem:  
Tunc Rex Gallorum præstantes arte loquendi  
Legatos mittit pacem ueniamq; precatum,  
Qui cum Germanæ te conuenere iuuentæ  
Spectatum uirtute ducem, sic uerba dedere.

Quod ramis oleæ noua pacta rogamus amici,  
Hoc tibi Teutonidum ductor fortissime totum  
Debetur, cuius mentis præstantia quondam hic,  
Non secus enituit, quam significantur in herbis  
Mollibus instanti fruges æstate futuræ.  
Et tua dexteritas nunc explorata gerendi  
Est bene res nobis, animoso & pectore uirtus  
Efficit, ut noster promittat Sceptrifera, illis,  
Religionis amor quos arma resumere iussit,  
Æternam requiem & uentura in secula pacem.  
Eductis a te stipendia debita turmis  
Regia pollicito numerabit tempore dextra,  
Promissisq; fides seruabitur integra certis.  
I decus egregium tanto de Rege triumphæ,  
Victor habes tota tantum quod mente petisti,

Emicat

Emicat auditis istis perfusa recenti  
Letitia Christi coniunx hilarissima dicens:  
Nate Palatino Heroum fortissime, gentis  
Germanæ lumen, noster fidissime tutor,  
Quod spoliū non sum lacrymabile facta Tyrannis,  
Perdere qui quærent tantum me funditus unamque  
Quod furor insanus belliq; cupido quieuit,  
Quodq; doloriferæ promissa leuatio Sortis,  
Et mihi placatæ genialis ramus oliuæ  
Coniunctis dextris nunc est protensus amicis;  
Acceptum refero tibi post munimen I E S V,  
Quidquid id est totum, & meritis pro talibus omnibus  
Tempore quas possum persoluam pectore grates.  
Quin te uictrici palma post fata recingam,  
Qua mihi donatos Genijs coelestibus addo,  
Et tribuo ueros mansuros semper honores.

Macte istis animi Dux inclyte dotibus alti,  
Aequiparâq; tuo meritis tua nomina patri,  
Qui cum magnificas aula Laterensis habenas  
ELECTOR cepit, solioq; potitus auito est,  
Non sua sacrilego conatus regna Gradu  
Longius ereptis alijs extendere sceptris;  
Nec passus uitam putri torpere ueterno,  
Turba Cinædorum facit hoc ut tempore tota:  
Sed pius Achaſides statuas ut ab æde remotas,  
Atq; Bahaliticis flammis ultricibus aras  
Numinis instinctu diuini exussit, & omni  
Labe Prophetarum purgauit scripta sacrorum:  
Sic hic nostro H E R O S pietate grauissimus æuo,  
Inuidiam spernens regumq; ducumq; minantiū  
Fertilis excidium regni, tristemq; ruinam,  
Sustulit e templis idola profana Deorum,  
Dogmata commentis hominum uiciata dolosis  
Sacra, tenebrosa & caligine tempore longo

Mersa renascenti clarescere lumine iussit,  
 Integrumq; sacris uerbis reparauit honorem.  
 Ampla cuculligeris quæ uectigalia pigris,  
 Delicijs Siculis lautam instruxere culinam  
 Indiga subsidijs ætas, effoeta senectus,  
 Musarum & studijs castis operosa iuuentus  
 Ipsius his iussu tantum, ceu postulat usus  
 Legitimus fruitur per regna LEONIBVS arte  
 Subdita INAVRATIS, & clara insignibus ORBIS  
 Quam mea merificos tulit ut pomoeria sumptus  
 Concordi studio dilatarentur ubiq;  
 Sincerè, nomenq; Dei cognosceret orbis.  
 Quam uigil attenuat sensus corpusq; senile  
 Cura fori, ne quis nostro prædator ouili  
 Iniustum imponat simulato iure tributum,  
 Aut premat insontes audax iuiuria leges,  
 Aspera cliuosi cum per diuortia callis  
 Quotidie ingreditur descensu sæpè molesto  
 Tecta suis queis sub dictat pia iura Senatus.  
 Actaq; cognoscit certantum cuncta reorum.  
 Sic regere imperio populos, sic scepra tenere  
 Summa gubernantes decuit, non excoriare,  
 Nec ceu telluris contemnere inutile pondus.  
 Iacta tibi landis quæ fundamenta perhennis  
 Fac simili studio princeps tollentur in astra,  
 Cum mihi tempestas, nostro quæ plurima collo  
 Imminet, exorta est, similisq; referbuit ardor  
 Telorum, talisue tremor pia meubra petiuit,  
 Ceu duo Boiorum uestro de sanguine nati,  
 Clari Fridricus probitate Philippus & armis  
 Terga coegerunt sceleratum uertere Turcam  
 Pannoniam tumido quâ gurgite perfluit Ister,  
 Impleruntq; suo nascentia nomine scela:  
 Ceu duo Marchiones pronepotes sanguine qui sunt  
 A tibi materno, Ioachimus nempe secundus,

Albertus

Albertusq; Getis uictis qui nomen Achillis  
Teutonici accepit, signis fulgentibus ambo,  
Heroes gestis rebus feliciter ambo  
Ante alios celebres: mihi mœnia firma fuerunt,  
Imber inundasset cum armorum Turcicus atrox,  
Quâ iacet immensis uallis munita Vienna,  
Meq; patrocinio texerunt rebus in arctis  
Constanti: tua sic uirtus Heroibus æqua  
Semideis, quod iter laudabile suadet inire,  
I pede felici, nec quidquam cede furori  
Obiecto, contra sed tanto audentior ito,  
Effusa quanto saeuit truculentior ira.

Maeste tua sancto uirtute simillime regi,  
Consisus Domino lapidis qui turbine strauit,  
Horrendi Goliath prærupta mole Gigantem  
Corporis, immite & stricto caput abscidit ense.  
Cetera quæ subito casurus possidet orbis,  
Feruente, intereunt, ceu nix liquefacta calore.  
Nixa fide uera reuerentia grata Tonanti  
Sternit iter regis superam stellantis ad aulam,  
Ambrosijs & dat mensis accumbere Diuum,  
Donec honorabit reuerenter curia coeli  
Tota redemptorem curuato poplite nostrum.

Heroina igitur cuius mordacibus imo  
Pectore depulsis grates persolue cubilis  
Legitimi auctori, fortunatissima cuius  
Solijs auspicijs dextris ductuq; secundo  
Nacta uirum es, subijt qui tanta pericula bello,  
Pro pietate tulit qui tam foeliciter arma,  
Laudeq; gestarum rerum celeberrimus omni  
Tempore uicturum meritis pro nomen adeptus.

Tu quoq; magnanimis Heros Heroibus orte  
Sponse Deo grates age toto pectore dignas;  
Quod uirtute parem nec nobilitate minorem  
Ingenita, sociam thalami tibi iunxit amandam:

Que tibi coniugij nisi spem fecisset, Hymenq;  
Pulchra maritali cincturus tempora sero  
Præforibus staret, ueterum figmenta q; uatis  
Vera essent ambire Deos connubia fictos;  
Nupta Ioui Iuno non esset facta marita,  
Nec cum Marte Venus Iunonigena q; marito  
Furtiuo toties sociasset corpora uinclo  
Nec tibi Leucothœe satus ex Hyperione formam  
Versus in Eurymones spoliū uitiaisset amicum:  
Sola sed hæc Diuūm potuisset flectere sensus.  
Nec mirum, tantò formæ splendore coruscet  
Pulchrior, aureolis quantò uer floribus hirtis  
Gratius est pictum glacialis frigore brumæ,  
Mane serenato rutulanti lumine qualis  
Exit ab Oceano Phœbi rota splendida magno;  
Talis fronte sedet commista pudore uenustas  
Ingenuo: talis radios pudibunda refundunt  
Lumina: lacte alas malas rubor imbuat auribus.  
Gratia purpureis mirè coniuncta labellis,  
Facundusq; lepor pleno fluit ore, capilli  
Ex humeris pendent multis flauis intertexti  
Chrysolithis, uarijs auratum syrma smaragdis.  
Quod depictus obit limbus baccisq; decorus,  
In quo Sarmatiæ sunt scripta insignia regum,  
Quos tua nunc socrus longæua stirpe recenset  
Insignes proauos atauosq; illustribus actis.  
Additur his alius contextus laspide limbus,  
Qui seriem recitat maiorum Saxo tuorum  
Edite Cæsaribus: quas Marte rebellia iusto  
Regna subegerunt, quos promeruerunt triumphos.  
Si niueis demas ornatus artubus illos  
Deliciasq; nouas, & contemplere recessus  
Arcanos mentis primum quæ pectore clauso  
Impolluta sedet fidei pietatis imago  
Occurret coniuncta sacræ: mox deinde sequetur

Vera

Vera datae custos fidei reuerentia CHRISTI,

Absiduis precibus studijsq; intenta sacratis.

Huic comes est morum splendore modestia comata

Quaeq; puellaris dos prima decusq; cateruae

Est regale pudor mira probitate politus.

Sic Deus exornat primis reuerenter ab annis,

Qui sua cunq; colunt sincera numina mente

Praua nec impurae peragrant compendia uitae.

Sic quoq; prole pia donat pietate parentes

Recta praestantes & Relligione potentes.

Ergo tuis tædis gratantes undiq; dextris

Effusi ciues, iuuenes, matresq; puellaeq;

Applaudunt Superos studiosè inuota uocantes,

Vt tua propenso fortunent uota fauore.

Salue festa dies quo tot uirtutibus aucta

Heroina, sedens gemnis auroq; rigente

Lectica, aduehitur Nicri florentia ad arua,

Heydelberga iacet doctis ubi foeta Camoentis.

Magna puellarum stipat latus undiq; sponsae,

Leticia exultans per compita plena caterua.

Qualis seruandi sanctum studiosa pudorem,

Te Dea cliuorum memorumq; sacerrima custos

Prosequitur gressu iuga per montana citato:

Talis in obsequium comes it propensa fidele

Turba, genus propria exsuperans uirtute parentum,

Quae dat multiplices testantes gaudia plausus.

Præcipitatq; moras cupido noua nupta marito

Ominibus lætis celebrem utducatur ad aulam,

Atq; diu uotis patiatur uterq; petitis.

Regalem hanc pompam iuuenes bis mille coronant,

Sublimes in equis ostro tectisq; tapetis,

Magna uoluptatis promunt qui pectore signa,

Post desiderium quod dextro sidere longum

Tædifer adsit Hymen redemitus tempora fertis.

Hos inter nulli ueterum uirtute secundus

IMPERII

IMPERII Augustus Sacri septemuir, habenas  
 Iustitiae latus qui flectit ad ALBIDOS undas,  
 Teq; Auguste stetit quo felix Cesare Roma,  
 Omnibus exaequat meritis, animiq; uirilis  
 Diuitijs: sana sed cognitione Tonantis,  
 Integroq; Dei cultu, sanctoq; timore,  
 Atq; propagandi Christi pomœria amore  
 Omnes exsuperat longe, queiscunq; potestas  
 Regna gubernandi fuit unquam tradita. Salus  
 Musarum & fidei Mæcenas optime sacrae.  
 Te quibus Heroum celebrabo maxime uerbis  
 Horrendam cuius prudentia summa ruinam  
 Imperio, sumptis damnato à sanguine penis,  
 Avertit nuper, furijs incendia quando  
 Atq; faces plenas rectis inferret amicis  
 Audaci Vulcanus seditione rebellis.  
 Te quibus Heroum celebrabo maxime uerbis  
 Cuius ope Aônides caput exeruere sorores  
 Excelsè, atq; odium uulgi insaturabile spernunt.  
 Fida gubernaculo cuius custodia nauis  
 CHRISTE tuæ, tristi hoc non tempore defuit unquam  
 Aeolus aduersis licet insurrexerit auris  
 Sepius, & tumidis iactauerit aestibus equor,  
 Ac picea totum caligine texerit orbem,  
 Nunc his, nunc illis clauo rectoribus alto  
 Excussis, laceram obruerint freta turbida puppim.  
 Salue Christiadium portus fidissime rerum.  
 Naufragij tabulas reliquas ne desere longi,  
 Ira uelis penitus ni obsorbeat æquoris omnes.  
 Imminet asperior multo furialibus austris  
 Tempestas & nunc Euruscq; Notuscq; procellis  
 Intumuere feris, iactantq; ad littera uastos  
 Fluctus, consilio qui ni sedentur, & acri  
 Marte refrænentur, malefide transtra fatiscunt  
 Nexa, relaxatis laterum compagibus omnes

Fluctibus

Fluctibus immodicis nullo discrimine fracti  
Mergentur: siquidem non parcitur amplius ulli.  
At tu quem nullus turbo, nullus uel tumultus  
Inflexit, persta, & rabidos compefice furores.  
Sic tibi pro meritis Ecclesia grata coronam  
Conuentu in procerum, qui nunc est summus habendus,  
Regalem imponet, quò cum pare numine Diui  
Induperatoris partita sorte laborum  
Romani Imperij sustententes sceptriger oras.  
Sic Deus inceptis uires ingentibus addet.  
Sic dabit in superas post facta illustria sedes  
Ingrediariis ouans, & consocière beatis  
Cælicolis, Diuos inter non ultimus hospes.  
Salue Auguste, Ducum salue augustissime Princeps.

Ergò magnanimæ lux & spes altera gentis  
Sponse tuam mentem pertendent gaudia uera.

Iam letare Dei coniunx Ecclesia sancta  
In Domino gaudete Deo, qui ciuibus estis  
Ascripti superis, impollutumq; liquorem  
Fontibus ex sacris hac tempestate periclis  
Omnibus exuti hîc (benefacta agnoscite dia)  
Hauritis mecum: & uenerantes numina trina  
Hac prece uel simili tædas orate secudent.


O æterne Deus, mens o castissima, casti  
Principium thalami, sanctiq; benigne patrone.  
Da modo, quæ præsens Hymenæus gaudia læta  
Attulit applausu, sancto diuturna fauore  
Efficiat stabilis spirabile numen amoris  
Laticiaq; dator, uerus concordia & auctor  
Atq; thorum exhilaret uenerando iure sacratum  
Æmula mirificæ ueniens uirtutis auorum  
Progenies, sancta quæ in religione parentum  
Constanter maneat lapsis, & rebus asylum  
Perstet in extrema mundo ueniente senecta.

Mi Deus omnipotens duo qui clarissima mundi


Lumina:

Lumina confoceri uinclo propiore ligasti,  
Ne tuus exiguus numero & grex uiribus orbis,  
Quem multi dira feritate minisq; Tyranni  
Delere ingenti prorsus nituntur opum ui;  
Victus tormentis, flammis sine fine paratis,  
Victus & exilio, Martisq; furore cruenti  
Concussis animis rebus desperet in arctis;  
Horum ast infracto procerum munimine septus,  
Omnipotente tua ceu tectus tegminis umbra,  
Hospitium inueniat post tot uenerabile clades,  
Liber & horrifera terroribus ora resoluat  
In laudes pater alme tuas, merita atq; celebret;  
Facq; diu tali ut nos libertate fruamur,  
Et tua se terras diffundat gloria in omnes.

FINIS.







51.9.11.11.11  
600 2



1/c 2504 OK


h/c

ULB Halle  
004 976 339

3







B.I.G.

Farbkarte #13

XXV, 25<sup>m</sup>  
I, 60.4<sup>m</sup>

(cat. 1, 285.)

Vc  
2504

# EPITHALAMION IN NVPTIAS

ILLVSTRISSIMI PRIN-  
CIPIS AC D. D. IOHANNIS CA-  
SIMIRI COMITIS PALATINI RHENI, BAVA-  
riæ Ducis, &c, clementissimi sapientissimiq3 Princi-  
pis atq3 D. D. FRIDERICI Comitis Palatini Rheni,  
Sacri R. imperij Archidapiferi, & Electoris, Bauariæ  
Ducis &c, F: & genere & virtute atq3 pietate nobilif-  
simæ Heroinæ D. D. Elisæ Saxonix Principis, &c.  
potentissimi Principis ac D. D. Augusti, Ducis Saxo-  
niæ, Sacri R. Imperij Electoris, & Archimarschal-  
li, Landgrauij Thuringiæ, Marchionis Mis-  
niæ, & Burggrauij Magdeburgen-  
sis, &c, F, Scriptum

ju 6. 18. Oct. 1570  
2. April. 1590  
alt. 38. Jahr.

Ab  
HENRICO XENANDRO  
ALTKIRCHIO.

HEYDELBERGAE EXCVDEBAT  
Michael Schirat, Anuo 1570.